

ius, ita nec quisquam redimit, nisi qui seruitum apud alterum seruit. Igitur si infantes liberi nascerentur, nullusque peccati seruituti obnoxii; redemti a Christo non essent, quum redēmptione opus non habeant: nec proinde Christus omnium redēmтор esset.

Idem hoc argumentum pressius Augustinus versat (30). Nouimus tamen plurima his etiam rationibus responsa olim a Pelagianis data, hodie a Remonstrantibus, Socinianis, et Deistis reproducta. Sed et illa ex parte confutauimus; et in perpetuum dilata habemus in SS. Doctorum Augustini et Thomae scriptis. Lectores illic transmittimus (31), quoniam breves esse volumus.

CAPVT XVIII.

Qui fuerint haereticorum aduersus veritatem hanc conatus exhibet. Eosdem dissoluit.

Carpocratis gregales ac discipulos primos fuisse, qui ob Adami praevaricationem posteros infectos peccato, et damnationi obnoxios nasci negarunt, Clemens Alexandrinus scribit (1). Alii Originem Adamantium hunc ipsum errorem primum exigitasse opinantur, ac proinde Pelagianismi oua fouisse dicunt: quamquam admisserit ille baptismatis gratiam ad abluenda peccata in superiori vita, priusquam anima dilabetur in ergastulum carnis, perpetrata. At Ruffinum Presbyterum primitus hoc fidei Christianae fundamentum subverttere fuisse molitus, Recentior quidam e familia Dominicanorum Theologus ex actis Carthaginensis Concilii aduersus Coelestium habiti, et ex Mario Mercatore colligi adseuerat (2). *Quis vero Ruffinus hic Presbyter fuit?* Fortassis Aquiliensis ille acerrimus Originis defensor, in quem stylum Hieronymus vertit, quod eum irritarat? Aut alter natione Syrus, cuius apud Marium Mercatorem mentio? Garnerio, doctissimo quidem e Congregatione S. Mauri Monacho, Ruffinus Pelagi Praecursor, ac eiusdem in errore Magister, alias ab Aquiliensi visus est, quod cum origine Syrum Marius Mercator dixerit: contra Natali Alexandre, Bertio, aliquis plurimis persuasum est, Ruffinum Pelagi Magistrum et impulsorem, eundem illum es-

se

(30) Lib. 1. de peccat. mer. cap. 23.

(31) Loci saepius laudatis.

(32) In iii. Stromateon.

(1) F. Nicolaus Augustinus Chignoli Exercit. vii. de primo homine.

se Aquileiensem Presbyterum, qui ob immodicum Originis amorem, suscepitramque defensionem, tantam sibi et in Oriente, et in Occidente conflauit inuidiam. Neque scriptoribus his quidquam negotii fassit, quod Ruffinum natione Syrum Mercator dixerit: norunt si quidem, perulgatum, vsuque receptum esse, non a natali solo tantum, sed ab incolatus, seu diurnas habitatio[n]is loco homines quan-doque adpellari. Sic Christus Dominus, Bethleemi licet natus, Nazareus tamen frequentissime in Euangilio dictus legitur, quod Nazareth Galilaeae diuinne habitauerit. Sic (vt ex ipsa historia exemplum ducant) et Faustus Reiensis Episcopus Gallus dictus est, quod tametsi in Britania, seu Anglia natus, plurimos tamen vitæ sua annos in Gallia transegisset. Vnde vocatum a Mario Mercatore Ruffinum natione Syrum, quod septem et viginti annis in Syria et Palestina vixerit, colligunt: quamquam obscurum aliquod Aquileiensis Dioecesos oppidum natale solum eius fuerit. Fuere in hac sententia, praeter illos, quos paullo ante Theologos laudauimus, Cardinalis Henricus Norisius, Pagius, Huetius, quorum in re literaria auctoritas nos trahit, vt id ipsum sentiamus, atque momenta, quibus fulciuntur probemus. Ast eadem conferre non vacat.

Hunc ipsum Ruffini errorem adoptauit insuper Pelagius, opinatus, Adamum exemplo tantum suis posteris obfuisse, non transfusione. Eudem acriter propugnarunt, latiusque propagauerunt Coelestius et Julianus, qui pro Pelagiana haeresi propaganda multum operis et laboris contulerunt. In eodem haesit luto Theodorus Mopstestenus, et quinque aduersus S. Augustinum libris editis id probare natus est, Adamum peccando mortalem non esse factum, neque Dei Verbum naturam nostram adsumisse culpac originiae delenda gratia. Referunt hoc Marius (3), et Norisius (4). Extinctum ferme errorem ab inferis reuocarunt medio saeculo septimo Armeni; initio octaui Albanenses; tertiodecimo decurrente Albigenenses; quartodecimo autem Beguinæ, ac Beguardi. Tandem Sociniani, in quos, velut in sentinam veterum omnium errorum, pestifera confluit coluuius, Pelagi errorem adripuerunt; e quorum numero tamquam primicerii Hulicus Zuinglius, et Ioannes Vestphalus Lutheranus recensentur.

Aduersus infensissimos omnes hos hostes inuictissime pugnatū est validissimis, quae per totum praecedens. caput sparsa sunt, ar-

II 2

gu-

(3) In Commonit.

(4) De Haer. Pelag. lib. i. cap. 9.

gumentis. Ergo superest vt cōrūm impetus frangamus: In quo si paulo fuerimus prolīxiores, haud vīto nobis erit vertendum: nam pro argumenti istius dignitate nūquām satis.

Arque e sacris vītiusque foderis paginis aliqua congerunt, quibus errorem suum cuinci blasphemant. Achillis loco illis est, Iuliano praeſertim, illud Ezequielis testimonium cap. xviii. expressum: „anima quae peccauerit ipsa morietur. Filius non portabit iniquitatem Patis, et Pater non portabit iniquitatem Filii. Iustitia iusti super eum erit, et impietas impii erit super eum.“ Ex quo subinſerre pergunt, nullum in Adami posteris esse peccatum, generatione quidem carnali transfusum, alioquin portaret Filius iniquitatem Patis, contra ac Deus ipse testatus est.

Deinde ex Pauli Epistolis haec colligunt. Apostolus ad Rom. iv. ait: lex iram operatur, ubi enim non est lex, neque p̄auaricatio. Nequām ergo infantes p̄auaricatores haberi, atque irae, seu vindictae obnoxii, quoniam nec lege vīla sunt obstricti, nec obstringi possunt.

Et cap. v. testatur, in plures Christi gratiam abundare, quam Adami delictum, scribens: „multo magis gratia Dei et donum in gratia vniuersi hominis Iesu Christi in plures abundauit.“ Si ergo gratia et donum in gratia, saltem p̄cipuum, in omnes omnino non p̄etransit; multo minus primi hominis delictum.

Rursus: „sicut enim per inobedientiam vniuersi hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per vniuersi obedientiam iusti constituturi multi.“ Ergo non omnes, si tantum multi.

Similiter: quun ibidem dicat Paullas: regnauit mors ab Adam usque ad Moysen, etiam in eos qui non peccauerunt, aliquos saltem, qui non peccarunt, morti obnoxios agnoscit Apostolus, illud subinſerens, quod nempe, sola imitatione in mundum peccatum intrauerit; alioquin si de peccati ingressu per originem loqueretur, minus apte scripisset: etiam in eos qui non peccauerunt, regnasse mortem. Alia leguntur hoc ipso in capite his similia.

Et in II. ad Corinth. v. habet: „omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnuſquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum:“ perperam ergo originalis quaedam noxa fingitur, quae diuino obnoxios iudicio homines faciat, et si ab utero recenter natos, qui suis in corporibus nihil boni, malicie gesserunt.

Haec ex Scripturis adducunt. Patrum insuper auctoritate argumentantur. Et ex Graecis Martyribus Iustum opponunt, qui illud Iobi testimonium, quod ad probandam originariae noxae transfusioneν conferre solent Catholici: nemo mundus a sorde, cet. ad pueros posse refferti negat (5). Clementem quoque Alexandrinum adferunt, sribentem (6): „vbi fornicatus est infans? vel quomodo sub Adae cecidit excrationem qui nihil est operatus?“ Ibidem etiam docent, illud Psalmi: et in peccatis concepit me mater mea, non in Daudem, qui non fuit in peccatis conceptus, sed in omnium parentem Euam cadere dumtaxat.

At in Ioanne Chrysostomo exultant potissimum, quem totum suum esse iacitant, quod scribat (7): „hac de cauſa et infantes baptizamus, quāmuis non sint inquinati peccato, nempe vt eis addatur sanctitas, iustitia, adoptio, haereditas, et fraternitas Christiani.“ Et alio in loco (8): „videtur, inquit, quaſtione non parvum habere, quod dictum est, ob vniuersi inobedientiam peccatores multos esse constitutos. Sed et si quis accurate attenderit, et hoc quoque perfacile soluetur. Quenam igitur quaſtio fuerit? Illo enim peccante, ac mortali effecto, et qui ex eo orti sint, eos tales esse, nihil absurdum. At ex illius inobedientia alterum peccatum extitisse, id vero quam, obsecro, congruentiam, et consequentiam habet? Quid igitur hoc loco verbum hoc peccatores significat? Mihi videtur tantundem significare, quantum illud supplicio obnoxii, ac mortis rel, quod Adam mortuo omnes sunt mortales effecti.“ Et etiam (9): „corpus nostrum peccato Adae corruptibile quidem factum esse, animam tamen non labeſfactari, nisi peccatis post baptismum admissis.“ Reperit eadem saepissime.

His addunt Gregorium Nyssenum, adserentem, infantes immatura morte sublatos omni malitia vaccare, nec definire audentem, an et ii extrema mundi die ante tribunal Christi sint manifestandi: Basiliū quoque Magnum, dicentem, naturam nostram, quea ad nos carnali generatione propagatur, malam et peruersam non esse. Denique Theodoretum, sribentem, baptizari parvulos, etsi peccatum nondum gustauerint.

(5) In lib. qq. ad Ortod. q. lxxxviii.

(6) Hom. x. in cap. 5. Epist. ad Rom.

(7) Lib. iii. Stromat.

(9) Hom. xx. in Epist. ad Ephes.

(7) In Hom. ad Neophytes.

Ex Latinis vero Patribus primo producunt Tertullianum, vbi dicit (10): *quid festinat innocens aetas ad remissionem peccatorum?* Quibus offici purant, visum Tertulliano esse, inutilem baptismum parvolorum, quod innocentes illi sint, nullaque culpa, cuius egeant remissione, inquinati. Atque de carnis resurrectione scribentem eum denuo producunt, vbi dicit (11), *solan corporalem omnium mortem, non autem spiritualem aliquam labem in posteros ex Adami praevaricatione deriuatam fuisse.* Eandem quae Tertulliano, Cypriano mentem insedit, conatur sudere Phereponus, haec Cypriani verba recitans ex Epistola ad Fidum: *infantes contagionem tantum mortis ab Adamo trahunt, quia ex Patre mortali non nisi inmortales nascuntur.* Michaël Seruetus recentium Antitrinitariorum Parentis hanc veritatem oppugnare conatus est, his Hilarii verbis (12), quae olim S. Ambrosio adscribantur: *est et alia secunda mors in gehenna; quam non peccata Adae patimur.* Optatum tandem Milleuitanum obliiciunt, qui scribit (13): *ad Seth Adae filium non pertinuisse Adae delictum.*

Sed et ex ratione ipsa multa dicunt, vrgentque. Primum: si eiusmodi peccatum, inquiunt, per carnis originem traducatur in problem; carnem suapte natura malam, malique Dei, seu Diaboli opus dicendam, (quae insana Manichaeorum positio fuit) omniumque filiorum Adae diabolum confitendum auctorem, si omnes a conceptu ipso inquinatos sub sua habeat potestate.

Secundum: *quid nobis cum Adamo, aiunt, vt ab eo culpam trahamus, simul et naturam?* Quamvis enim carnis originem ab eo ducamus, anima tamen a solo Deo creatur: ergo quum ipsa sola sit peccandi capax, neutquam caro; imperceptibile prorsus apparet, animam, quae solum Deum sui auctorem habet, per carnem ex Adami semine propagatam vitari.

Tertium: ergo damnanda nuptiae, earundemque usus interdicendus, si primi hominis peccatum carnali generatione transferatur. Addunt his affinia non pauca, quae tamen mittimus lubentissime; nam ex horum solutione et illa manebunt soluta.

Itaque hunc ipsum, quem in proponendo Haereticorum argumenta tenuimus ordinem, et in solundo sequentes, ad ea quae ex Scripturis sunt adlata respondemus. Ac Iuliano principio reponimus cum

(10) In lib. de Bapt.
(11) Cap. xliv.

(12) In Comment. in Epist. Pauli.
(13) Lib. vii.

cum Augustino (14): *haec per Ezequiel Prophetam promissio est noui testamenti, quam non intelligis, vbi Deus regeneratos a generatis, si iam in maioribus aeratibus sunt, secundum propria facta discernit.* Vesanan ergo Iudaorum aberrationem per Prophetam Deus coaguit, apud quos factum iam fuerat tritum sermone pronerbium: *Pates comedunt vuam acebam, et dentes filiorum obstupuerunt;* atque iurecurando etiam interposito promittit, filium non puniendum pro patre, nec ab innocentie poenas reo debitias repetendas, sed morti futurum obnoxium quicunque peccavit: quae deinde ipsius Dei sententia, ad ea, quae propria quisque voluntate admitterit, peccata refertur; quod sumnum acuitatis apicem attingit. At Iudaorum praepostera opinatio neutquam de originali peccato, sed de solis actualibus erat; quum vnamimenter illi originales peccatum admiserent: quod Deus iustus iudex visitat, ne dum in quartam generationem, sed et in mille generationes; quemadmodum scripturae exempla monstrant. Abutitur itaque Iulianus hoc Ezequielis testimonio, quum de actualibus, seu personalibus peccatis illud loquatur, minime de originali.

Pauli insuper dicta violenter haeretici intorquent, vt a legitimo earundem sensu ad suae caussae commodum traducant. Nam in primo, quod obliiciunt, illud sibi sumunt quod nullo modo conceditur; videlicet, nullum esse peccatum, nisi actuale, proprius eius qui peccat voluntate commissum. Hoc sane constituto, quis non videt, vt nullum esse, nec vero esse posse praevaricationem, quum nulla lege vetetur actio, vel tametsi lex fuerit quae actum vetet, ab operante tamen innoxie, et sine culpa ignoratur; ita praevaricationem huiusmodi cadere in pueros non posse, qui quod rationis usus careant, nequeantque legem agnoscere, nulla lege tenentur? Nec vero VIII vñquam Catholicorum hactenus venit in mentem, de actualibus puerorum peccatis questionem instituire, eosque ab vetero quoque recenter egressos culpas aliquius propria voluntate commissae reos habere. Id vnum nos omnes contendimus, illos nempe originaria labe teneri: quum enim in peccato aliquo concipi, nascique illos, momenta firmissima mox indicata conficiant; legitime ac necessario concludimus, hoc peccatum quo infantes obstricti sunt, esse originale, non actuale, cuius pro actate illa capaces neque sunt, neque possunt concipi. Peccatores itaque per inobedientiam Adami

con-

(14) Lib. iii. oper. imperfec. contr. Iul. cap. 38.

constituti quum sint, quoniam in Adamo peccauerunt, ut ex Paullo didicimus, iure praeuaricatores illi habentur, et tamquam diuinæ legis violatae rei puniuntur: quamquam eorum singuli, seu personæ ab Adamo distinctæ, nec legi subesse, nec eam sua voluntate violate potuerint. Summis hanc doctrinam ex Augustino, scribente ad Hilarium (15): "praeuaricata lege, quæ in Paradiso datta est, nascitur homo ex Adam cum lege peccati et mortis."

Secundi testimonii hic est genuinus sensus. Multo magis Dei gratiam abundare, quam delictum; quod Adami peccatum temporalem nobis promeruit mortem; gratia autem non tantum resurrectionem corporis, sed etiam perennem, ac undeque felicem vitam tribuit, neque solum originis culpam diluit, sed et actualia peccata, aliaque multa donat. Ita responder Augustinus, vbi ait (16): "quid est multo magis abundauit, nisi quia omnes, qui per Christum liberantur, temporaliter propter Adam moriuntur, propter ipsum autem Christum siue fine victuri sunt?" Et post pauca: "multo magis abundauit", dixit, non in magis multis, id est, non in plures. Quis enim non videt, plures esse in genere humano, in quos non abundauit? Ut ex pluribus ostenderetur, quid vniuersae massæ iusto iudicio deberetur, nisi vbi veller spiritus spiraret, et Deus quos dignaretur vocaret, et quem veller religiosum faceret. Habet affinia alias in locis. Vnde illud conficitur, ea Paulli verba multo magis gratia Dei abundauit in plures, non ad numerum filiorum Adae referenda esse, sed ad maiorem donorum copiam, vberitatemque.

Tertium huiusmodi est, ut ex ipsis Epistolæ contextu quam-facile diluatur. Nonne enim Paullus ipse dixerat, per peccatum vnius mortem in omnes homines pertransisse, et in uno omnes peccasse? Ita versu xii. Nonne insuper et in versu xviii. scripserat: per unius delictum in omnes homines in condemnationem cœr? Paulum ergo secum pugnare dicemus? Igitur Synecdoche usus ille est, vbi inquit, per unius inobedientiam peccatores constitutos multos, multos pro omnibus posens. Etenim peregrini plane, hospitesque in sacro eloquio sint oportet qui ignorant, frequentem in eo huius figurandi modi vsum esse, neque raro partem prototo, totum pro parte, pro multis omnes, pro omnibus multos ponni, ut innumera comprobant exempla.

Quar-

(15) Epist. CLVII.

(16) Lib. II. oper. Imperf.

Quarto, quod videlicet plus operis in soluendo expostulat, ex his quae de Praeadamitarum fabula, deque irecto huius testimoniis ab eis facto diximus, plene responsum fuit. Quare breuiter ea contrahentes, dicendum, nihil inde apte Pelagianos posse inferre. Primum siquidem possumus illud contendere, particulam non textui extraneam esse, et sola librariorum osciantia, et inscrita in codices nonnullos irreppisse. Auctores, suffragatores habemus Ambrosium, Augustinum, aliosque non paucos, particulam hanc ab antiquissimis probatissimisque codicibus abesse testantes, in quibus sic memoratus versiculus legitur: regnauit mors ab Adam usque ad Moysen in eos qui peccauerunt, in similitudinem praeuaricationis Adae. Quae sane lectio vel maxime ad Apostoli mentem exacta videretur. Verum retineatur cum Vulgato interprete particula illa: quid tum inde? fortassis non haec erit Paulli verborum vera intelligentia, scilicet: regnauit mors ab Adam usque ad Moysen etiam in eos qui non peccauerunt, proprii videlicet voluntate, atque actu, in similitudinem, id est, ob, vel propter similitudinem praeuaricationis Adae, que in omnes carnali generatione diffusa, in causa fuit ut omnes ab Adamo usque ad Moysen mortem obierint, illi quoque, qui per actatem acti peccare non poterant? Recolantur quae citato loco dicta ex S. Thomas sententia a nobis sunt.

Postremum vero quod opponunt triplici solutione Augustinus contra Julianum confudit (17). Primo argumentationem sic intorquet: "utrum et ipsi ante tribunal Christi manifestabuntur, aut non? Si non manifestabuntur, quid te adiuuat ista sententia, quando ad eos non pertinet, quorum nunc agitur causa? Si autem manifestabuntur, quomodo reportat eorum quisque quod gessit, qui nihil gessit, nisi quia pertinet ad eos, quod per corda et ora gentantium, siue credunt, siue non credunt?" Pergit Augustinus, demonstratque, laudata verba ad Adultos præcipue pertinent; licet et paruuli non baptizati possint ante tribunal Christi reportare malum, siue damnari, sicut et baptizatos, et si nihil boni sua voluntate gessissent, a Christo Iudice in regni Coelorum possessionem induci, Pelagiani confitebantur. Hincque concludit Augustinus: "videlicet ergo quam importune nolis, paruulum de alieno peccato reportare malum; et velis cum de alieno recte facto reportare bonum, non qualcumque, sed Dei regnum: alienum quippe opus est cum

Tom. II.

Kk

cre-

(17) Lib. VI. cap. 10.

„credit per alterum , sicut alienum opus fuit cum peccauit in altero.“
 Ad Patrum loca exponenda modo progrediamur. Et Iustini quidem locus inique in caussae suae praesidium a Pelagianis aduocatur : sicut enim laudata Iobi verba , *nemo mundus a sorde , nec infans cuius est viuis diei vita super terram* , de infantibus interpretatur quaestio- num illarum auctor , non aetate , sed moribus ; sicut filius viuius anni Saul dicitur quum regnare coepisset , et duobus annis regnasse , innocentem nimurum et iuste , etsi ad multo plures annos regnum eius processerit , nec de naturali , sed de moralis vita , quae operibus prudenter factis transigitur intelligentus est ; ita sordes , de quibus lob , culpas dicit quas aetate adulta homo sciens perpetrat . Nihil ergo de originali ibi culpa haber Auctor . Eam tamen dissertissime agnoscit alibi (18) , eandem Christum inter et Adamum a Paullo constitutam antithesim versans , quam Iustinus verus tradit in Dialogo cum Tryphone . Nempe : „sicut viuis inobedientia causa est damnationis omnibus qui ab eo descendunt corporaliter ; ita Christi obedientia confert vitam iis qui per ipsum spiritualiter renascentur.“

Sed Criticis Eruditisque omnibus constitutum est , librum illum Martyri Iustino esse suppositum ; quippe quem Auctoris Iustino multo posterioris foetum esse demonstrant ; quia in eo Iraenei , Origenis , quin et Manichaeorum integro saeculo a Iustini aetate distantiū fit mentio ; vocabulorum etiam ad refellendos Antitrinitarios haereticos Ecclesiae vsu inductorum .

Clementis autem Alexandrini locus perdifficilis adeo est , vt Catholicos quoque tractatores in varias abiit sententias coegerit : quin Ioannes Gerardus Vossius inde arripuerit scribendi ansam , ignorasse Clementem culpae originalis naturam . Omnia ergo quae ad Clementis testimonium adhibentur , nobis maxime probatur Fratris Ioannis Laurentii Bertili Augustiniensis responsum (19) , quod sit illud ad rectae solidaeque critics regulas ac leges exactum , quibus scitum est , in perlegendis Scripturarum libris spectandum in primis esse Auctorum propositum et scopum , atque ex eo de germana eundem mente iudicium ferendum . Quo igitur eo loci Clemens collineat ? Quod habet ille propositum ? Aduersus Iulium Cassianum et Tatiani Schola ibi cum disserere obuium cuique est . Neminem por-

(18) Quaest. cii.

(19) Lib. xiii. cap. 1. in Resp. ad

ea quae opponuntur.

ro later , Tatianum Martyris Iustini primo discipulum , exin post Sanctissimi Magistri necem a Catholicorum societate ad Valentini , Saturnini , et Marcionis castra dilapsum , nefandos eorum errores adoptrasse , vt tradit Irenaeus (20) . Qui vero illi ? Veterum omnium attestatio competitum est , eos inter et hos censeri , matrimonium scilicet , non sacramentum , sed corruptionem , et stuprum esse , ut pote a principio , seu Deo malo institutum , turpissimum libidinum originem atque stimulum , quarum vsu execrando anima in vno corpore fornicata , atque a spiritu virae diuisa in aliud corpus commigraret , perpetuis sordibus inquinanda . Haec quum ita sint , nemo non intelligit , Tatianum Encratitarum , seu continentium Secrae parentem , eiusque adseclas a matrimonio non abhorre illudque damnasse , quod eius vsu peccatum origine in peccatum traducatur ; sed quod Dei mali illud opus esse sentirent . Clemens itaque Encratitam refellens , dum ait : *ubi fornicatus est infans natus?* quid sibi vult ? Infantis anima priusquam corpori manciparetur , quo alio in corpore se libidinibus polluit ? *Quomodo sub Adae cecidit execrationem , qui nihil est operatus?* Id est , quod infantis anima in Adami execrationem inciderit , non flagitiis deputandum est , quae alio prius in corpore gesserit , quam huic adligaretur , quum nihil adhuc sua sit voluntate operata . Eius vero quod addit nempe : *quando dixit David et in peccatis concepit me mater mea , dixit propheticus quidem matrem suam ; sed Eua mater fuit viuentium ; etsi in peccatis fuit conceptus , sed non ipse in peccato , neque vero ipse peccatum , haec est sententia ; Daud se in peccatis conceptum dicens , non in proximam matrem suam culpam confert , quae dans liberis operam , malo , et a doemone instituto operi vacarat ; neque sceleris indicat quae in alio degens corpore prius admisserit , vt cum Gnosticis Encratitae stultissime blaterabant ; sed primae omnium viuentium mari Euae suam in peccatis conceptionem adscribit ; quod argumento est , hoc ipso in loco traditam a Clemente Catholicae Ecclesiae de peccati originalis deriuacione doctrinam . Etenim si David in peccatis concepsit est , nec tamen ipse ante conceptum in peccato fuit , neque ipse peccatum fecit , quia anima eius nec ante corporis sui conceptionem extiterat , nec in alio corpore iam peccaverat ; *quorsum Euae viuentium omnium mari in culpa ponitur , quod eum in peccatis conceperit ?* Et si omnium prima ipsa peccarit , eam*

tamen peccantem , auctore Clemente , nec Dauidis , nec alterius cuiuscumque infantis anima imitata est , nec vero potuit imitari , quae nihil est operata . Igitur non aliter ac per originem ex Clementis sententia prima mater et Dauidem , et omnes alias potuit concipere ; quia nimirum ex eius vtero culpa originaria traducitur , quae omnibus mox ut concipiuntur , adhaeret . Quam Clementis sententiam fuisse amplius confirmat , quod variis suorum operum locis expresse tradidit , regenerati animas ex matrice , aquae seu baptismi lauacro ; neque enim hac regeneratione opus esset , nisi animae in sordibus haereterent , quas ab origine contraxerunt .

Addenda his quae diximus luctucentissima illa quae ad hoc ipsum responsum illustrandum , confirmandumque conferat ex eodem Clemente Bernardus Marechal Congregationis S. Mauri Monachus , in Graecorum , Latinorumque Patrum consensione (21) , quibus aperte conficit , errasse Elen-Du Pin confidentissime scribentem (22) , Clementem Alexandrinum doctrinam Ecclesiae erga dogmata istud , vel non habuisse perspectam , vel satis ad eam animum non verisse .

Iohannis insuper Chrysostomi dicta tantam difficultatis speciem praeseruent , vt Erasmus , Iacobus Faber Stapulensis , Dallaeus , aliique , peruersam hanc Chrysostomo adscriperint sententiam , eos tantum in Adamo spiritualiter mori , qui Adamum peccantem propria voluntate sectantur . *Quis tamen tetram hanc Sanctissimo Doctori labem ab iis inustam moderate patiatur ? Nonne eadem haec Chrysostomi testimonia a Juliano olim Catholicis obiecta Augustinus nitidissime exposuit , et cum Ecclesiae Vniuersalis sensu conciliauit ? Pro Chrysostomo igitur explicando vindicandoque , nihil Augustini ipsius responsionibus dilucidius transcribi vñquam , adferique poterit . Ac primum illius testimonium ad graeci textus fidem exigens Augustinus , adnotar dixisse Chrysostomum : ideo et infantes baptizamus , quamvis peccata non habentes : statimque addit (23) : »vñdes certe , non ab eo dictum esse parvulos non coquinatos esse »peccato , siue peccatis ; sed non habere peccata : intellige propria , »et nulla erit contentio . At inquit , ęcū non ipse addidit propria ? »Cur putamus , nisi quia disputans in Catholica Ecclesia , non se »aliter intelligi arbitrabatur ; tali quaestione non pulsabatur ; vobis »nondum litigantibus securius loquebatur ? « Quae postrema Augu-*

sti-

(21) Tom. 1. Verb. Clem. Alex. cap. 8.

(22) Tom. 1. sua Bibliothecae.
(23) Lib. 1. contr. Julian. cap. 6.

stini verba , vt sunt verissima , ita et maxime digna quae notentur , atque in mente habentur , quoties antiquorum Patrum sententiae nonnullae occurrent , quae nondum grassante haeresi Pelagiana videntur de hoc fidei Catholicae capite minus forte perspicue , minusque caute loqui : par enim est credere eos , de populorum fide securos , minus fuisse de ampliori dogmatum explicatione sollicitos , quae nulla Haereticorum oppugnatione appetebantur .

Est autem explicatum difficultius secundum Chrysostomi testimonium ; quod tamen cum Catholicae Ecclesiae doctrina componitur . Nec enim aliud innuit , quam neminem peccatorem constitui per actum Adami inobedientiam , quasi originis peccatum sit ipsam pri- mi hominis transgressio . Non enim parvuli *actualiter* , et *propre* , sed *originaliter* peccatores nascuntur , vt Augustinus loquitur (24) . Sed hac ipsa in Homilia Chrysostomus originariam noxiam tradit dissertissime ; vbi Pauli verba exponsus scribit , hoc primi hominis peccato omnia contaminata fuisse ; illudque primum peccatum , peraeque ac alii quaelibet postea admissa , per gratiam Christi interfici atque tolli , et quotquot in Christo baptizantur morti peccato . Hinc quum et parvuli recenter ex vulva nati , in Christo-baptizentur , ex Chrysostomo Augustinus concludit , et eos etiam mortuos esse peccato ; non illo quidem proprio seu actuali , cuius per actatem capaces non sunt : ergo originali . Quae quum ita sint , aliud ac haeretici peroptant Chrysostomus verbis in argumentum positis , significare voluit . Certe vt ex ipsis Epistolae capite colligitur , sibi Paulus proponuerat Iudeis persuadere Christi iustitiam in multos deriuari , eiusque obedientia iustos effici multos ; quod vt facilius intelligent , exemplum ab Adamo petitur , cuius inobedientia in posteros tradueta , multos constituit supplicio obnoxios ; nec tamen causam addiecit , cur Adae filii mortis constituantur rei , tum quod eam paulo superius indicasset , quum ait , *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit , et per peccatum mors* ; tum quod eam addere necesse non esset . Aduersus Iudeum , inquit , constituta pugna est , ambigunt , et deridentem iustitiam , quam per Christum factam esse Paulus vult . Idcirco quum ostendit , et suppli- cium ex uno in omnes deriuatum fuisse , qua id de causa acci- derit , nondum addidit .

Tertium tandem testimonium sic solet exponi ; vt Chrysostomus

lo-

(24) Lib. xvi. de Ciuit. Dei cap. 17.

loquutus dicatur de baptizatis in quibus anima incorrupta est, dum modo actualis peccati macula non contrahatur.

Verum si ad graeci textus fidem, potestaremque illud reddatur, expositione nulla eget. Etenim non solum veritati quam tuemur, non contradicit, sed eidem apertissime fauet. Legitur siquidem, ut operum Chrysostomi Editoribus animaduersum est: «corrupibile nobis est corpus, anima incorruptibilis: ne itaque et ipsam corruptimus: hoc primum peccatum fecit; quod est autem post lauacrum, potest pariter animam corrumpere, et efficere ut facile capi possit a verme mortali.» Quid vero in his Chrysostomi verbis non ad Catholicae fidei regulam plane dispositum? Quid cum Ecclesiae catholicae doctrina non consentiens?

Minus opera requirent, quae ex Gregorio Nysseno et Basilio opponuntur, ut explicentur, et soluantur. Etenim rectissimam fuisse Nysseni de originarie culpac transfusione sententiam, illud abunde declarat, quod in libro de vita Mosis scribit, nempe naturam hominis ob Adam praevacuationem lapsam in peccatum esse, hocque certa fide tenendum. Ergo dum ille dixit, *infantes omnis malitia expertes esse*, de infantibus baptizatis fuit loquutus, qui abs dubio omni malitia soluti sunt; quum et originaria baptismate delata sit, et actualis ob actatem in eos cadere non possit. Dubitat autem, an et hi ante Christi tribunal in saeculi fine manifestandi sint; quoniam iudicium tunc exercendi series, quam Matthaeus describit, ad solos adultos spectare videtur, quos a Iudice praemio, vel poena afficiendos, ob excercita, vel praetermissa misericordiae officia Euangelista tradit. At futuros etiam parvulos participes adulorum gloriae, quod nulla eos malitia ab illo regno excludat, parcius tamen prae aliis, quod nulla habeant merita propria, disser-tissime Gregorius adfirms.

Basilli Magni interpretem damus Augustinum dicentem (25), eum aduersus Manichaeos agere, quorum haec erat insana positio, «de gente tenebrarum, quam malam naturam dicunt Deo coeternam, originem habere corpora, atque et ipsa esse immutabilia mala.»

Quid vero Theodoretus? Messalianorum errorem ibi exagitat, baptismate scilicet, non nisi peccata actualia, originale vero sola oratione deleri, inuncto plane argumento e baptismio parvulorum ducto, qui (ut loquitur ipse) peccatum nondum gustauerunt, vel il-

Iud

(25) Lib. 1. contr. Iul. cap. 5.

lud nondum voluntate propria patraruunt. Quorsum enim baptizatur si labes originaria baptismate non auferunt? Verum illum agnoscere originale peccatum constat ex his, quae in expositione Epistole ad Rom. (26), et in Epitome diuinorum decretorum (27) habet.

Ex his autem ad Latinorum Patrum auctoritatem descendentes, Tertullianus occurrit primus, cuius verba maximopere aduersari extollunt. Sed disruptum licet haeretici, numquam ille hoc in capite a perpetua Ecclesiae doctrina descivit. Quod adeo certum exploratrumque est, ut si soli dubitare possint qui eius opera numquam legerint: neque enim vno tantum suorum opertum loco parvulorum baptismus sustinet (28). Itaque innocentes infantulos dum adpellat, eos nihil boni, vel mali actualiter perpetrasse declarat; quemadmodum de Iacob, et Esau Apostolus ad Rom. ix. scribit. Vnde nihil commodi ex eiusmodi testimonio haeretici referre possunt. Sed neque eisdem suffragatur quod de resurrectione carnis scribens, solam corporis mortem commemoret: nam aduersus Marcionem ibi disputat, qui mortuorum resurrectionem negabat, eumque Pauli testimonio refellit, scilicet, *sicut omnes per Adam moriuntur, ita omnes per Christum resurrecuntur*. Quid si adeo vecors nullus erit, ut existimat, negatum ab Apostolo originale peccatum, quia de sola quae ab Adam in omnes transit, corporis morte ibi loquitur; neque Tertulliani testimonio abutendum est, quasi peccatum originale ibidem reiecerit; quum alibi dissertissime illud adstruat.

In Cypriani testimonio nihil est quod detegamus, nisi malam Phereponi in eo exscribendo fidem, fraudemque, quies verba mutat, pervertit, atque in sensum ab Auctoris mente remotum torquet, ut errori suo ea adcommodet. Itaque sic in Cypriano leguntur: «si etiam grauissimis delictoribus, et in Deum multum ante peccantibus, quum postea crediderint, remissa peccatorum datur, et a baptismo, ac a gratia nemo remouetur; quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccauit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus contagium mortis antiquae prima nativitate contraxit, qui ad remissam peccatorum accipientam tanto facilius accedit, quod illi remittuntur non propria, sed aliena peccata?» Ex quibus Sanctissimi Martyris verbis nullo negotio intelligitur, habitos ab eo alicuius peccati reos, quod secundum

Adam

(26) Cap. v.

(27) Cap. xl.

(28) In lib. de Anima. Et adu. Marc. Et etiam de Testim. Animae.

Adam carnaliter nascendo contrahunt; quos deinde pronuntiat minime arcendos esse a peccatorum remissione per baptismum obtinenda, ad quam tanto facilius accedunt praे adultis, quod hi praeter originariam noxam ex Adamo in eos deritutam actualibus etiam calpis polluti sint, baptismo eluendis; infantes vero ad baptismum accedant non proprii, sua scilicet voluntate admissi, sed alieni peccati rei. Non ergo Ecclesiae doctrinae contrarius Cyprianus est.

Hilarius autem verbis adlati tantummodo sentire videtur, peccatum originis ignis aeterni cruciatibus non puniri: quod ex Catholicis quamplurimi docuere. De cetero adeo nitida, robustaque Hilarii testimonia sunt pro catholicis dogmatis confirmatione, vt eisdem Augustinus utratur contra Iulianum disputans (29). Ut quod habet in expositione Psalmi centessimi duodecimessimi, ad illa verba: *vivat anima mea et laudabit te: vbi ait: "vivere se in hac vita non reputat, quippe qui dixerat, ecce in iniurias conceptus sum, et in delictis concepit me mater mea.* Scit sub peccati origine, et sub peccati lege esse se natum. Quibus verbis adductis, ait Augustinus: *"sentisne quid audias? Quaevisne quid dicas?* Hunc virum tanta in Episcopis Catholicis laude praecularum, de peccato originali aude, si *"quid ibi frontis est, criminari.* « Similiter et ad Bonifacium scribens (30), illustrè hoc Cypriani eiusdem testimonium ponit: *"manifestum in Adam omnes peccasse, quasi in massa.* Ipse enim per peccatum corruptus, omnes quos genuit, nati sunt sub peccato.« Haec ex Hilario Augustinus, vt innotescat, qua iniuria in haereticorum auxilium trahatur ille. Quod si de Hilario Diacono nobiscum illi loquerentur, haud contendemus plurimum erga istius ortodoxiam, quoniam optime nouerimus hunc Schismati Luciferi Calaritani adhaesisse. Atque hic est eruditorum omnium iudicio auctor commentariorum in Epistolas Pauli; non celeberrimi illi, scilicet Pictruiensis, aut Arelatensis.

Tandem Optati Mileuitani auctoritatem, frangunt potius, quantum explicant, hi omnes, qui vel dubitatum olim de septimi libri genitute adlegant; vel quod grauius est, Optato non satis originale peccatum fuisse perspectum; aut etiam imprudenter, et incaute ab eo id scriptum, quod seuerioris examinis acrimoniam effugere non potest. Non nobis haec probantur iudicia: vnde ad tuendam tantum viri famam, ipsum in fonte, vt aiunt, adire decreuimus, vt eum de peccato actuali ibi loquutum declaremus. Agit enim de Traditione

(29) Lib. i. cap. 5.

(30) Lib. iv. cap. 4.

ribus (quo nomine qui intelligantur, norunt et viri de triuio) quorum imperiat iis qui in corum scelus non consenserant, nocere non potuisse, probat exemplo Seth, viri probi atque iusti, ad quem non pertinuit, quod Adam eius Pater admisrat. Ceterum fuisse illius de noxa originaria rectissimam sententiam, quae antea (31) scripsérat, evidenter ostendunt; etenim, ait, propter illam *"omnis homo, qui nascitur, etiamsi de Christianis parentibus nascatur, sine immundo spiritu esse non potest."*

At quae ex ratione Haeretici obiiciebant, non rationis inuenta, sed hominum errantium sophismata sunt. Sane primum eo evanescit, quod peccatum, licet per carnis originem traductum, naturae tamē humanae nec ingenitum, nec innatum est, sed solo prauae voluntatis vitio mutatum. Demonstrat hanc veritatem Augustinus aduersus Pelagianos (32), ex eo quod humana natura medicinali Salvatoris gratia sanata fuerit, quae sanari omnino non potisset, si esset ei peccatum aeternum ac immutabile malum, id est, penitus insitum ac naturale. Demonstrat insuper, vbi Iuliano respondens ait: *"in paruulo nou est tantum natura, in qua creatus est homo a Deo bono, sed et vitium, quod per vnum hominem in omnes pertransiit: horum duorum vnum adscribitur Deo, alterum Diabolo: propter vitium subiicitur potestati Diaboli; propter naturam non sub Diaboli, sed sub Dei potestate est."*

Ad secundum responder S. Thomas, huius, vel illius hominis animam in Adamo non praexitisse secundum seminalem rationem velut in quadam principio effectu; quasi vero ille tamquam princeps caussa posterorum animas efficerit, adeo vt animae sint ex traduce, seu per corporeum semen in prolem a parentibus transmittantur, et quemadmodum ex Patris carne filii caro, ita anima filii sit ex Patris anima, vt Doctor Angelicus loquitur; quoniam semen corporeum ab eo deriuatum, tametsi spiritualem animam virtutem sua non efficiat, imo nec possit efficiere, ad eam tamen disponit, vt cum carne ad vnum hominem componendum, velut pars cum altera parte iungatur: quia vero haec cum qua anima iungitur caro, primi hominis vitio corrupta est, inficitur quoque, et coquinatur illa, quoniam primum eam inter et carnem huiusmodi fit copulatio. Neque hinc licet inferre huius culpac auctorem, et caussam Deum esse, qui ani-

Tom. II.

L1

mam

(31) Lib. iv.

(32) Lib. iii. contr. duas Epist.

mam creat, et infundit in corpus. Etenim ut S. Thomas docet (33): „infectio originalis peccati nullo modo caussatur a Deo, sed ex solo peccato primi parentis per carnalem generationem; et ideo quum „creatio importet respectum ad solum Deum, non potest dici, quod „anima ex sui creatione inquietur; sed infusio importat respectum „et ad Deum qui infundit, et ad carnem cui infunditur: et ideo „habito respectu ad Deum infundentem, non potest dici quod anima per infusionem maeculatur, sed solum habito respectu ad corpus cui infunditur.“ Nec vero sapientiam diuinam dedecet huiusmodi animae infusio in corpus vitiatum: nam ut egregie ait Doctor Angelicus (34): „sicut non esset sapiens qui thesaurum in loco mundo conseruabilem, in loco immundo reponeret; ita valde „esset insipiens qui thesaurum non aliter conseruabilem non etiam „in immundo loco collocaret.“ Ita S. Thomas.

Tertii haec est solutio. Nuptiae a Deo institutae sunt propagandi conseruandique humani generis gratia: quod si earundem vsu originis peccatum a parentibus deriuatur in liberos; hoc primo hominum ponendum in culpa est, non nuptiis: per illum siquidem, vt Apostolus testatur, *peccatum in hunc mundum intravit . . . in quo omnes peccauerunt.* Quin „nuptiae, Augustino docente (35), instittutae sunt causa generandi, non peccandi; peccatum autem quod inde a nascentibus trahitur non ad nuptias pertinet, sed ad malum, quod accidit hominibus, quorum coniunctione sunt nuptiae.“

COROLLARIUM.

Quum autem testimonia Scripturarum hucusque producta, universalia sint, cetera quoque argumenta, quae ex Patrum traditione ducebamus; consequitur inde tamquam fidei nostrae dogma et hoc tenendum, originis peccatum ad Filios fidelium pertransire. Matrem Dei purissimam tantum excipimus, de cuius praeseruatione pia vulgataque sententia iam diu gentium ac populorum animis inseedit, licet de illa nihil ab Ecclesia definitum sit: quamque tueri, prout per Apostolicam Sedem licebit, et sacramento iterato adstricti sumus. Atque corollarium istud, quoad eius partem praecipuum con-

(33) Prima Secundae, quæst. LXXXIII.
art. 1. ad 4. et 5.

(34) II. Sentent. disc. XVIII. q. 1.

art. 1. ad 1.
(35) Lib. II. de Nupt. et concupisc. cap. 26.

contra Nouatores ponimus, qui in Pelagianam haeresim incidentes, traducem sancificationis et gratiae ex Parentibus in filios propugnant; ita ut non ob aliud baptismate ablui eos sit opus, quam ut in unum Ecclesie corpus veluti membra coaptentur. Homines autem haereticos, praeter argumenta ex Scripturis et traditione ducta sic inuite oppugnamus. David ex parentibus absdubio fidelibus, et circumcisus procreatus, in iniquitatibus nihilominus se conceptum fateretur. Similiter et Paulus ex Hebreorum genere oriundus, ac ex Tribu Beniamin, de se ipso ad Ephesios sribens ait: *eramus natura filii iræ, sicut et ceteri.* Accedit ipsa Haereticorum confessio, qua nempe adfirmant, Sanctorum etiam filios esse baptizandos: sed quicumque baptizatur, in Christi mortem, et peccatorum remissionem baptizatur. Quid multis? Definitum sic nouimus a Sacrosanta Synodo Tridentina Sess. v. Canone iv. et primum ab Augustino prescriptum, vbi ait (36): „nec paruuli de quibuslibet sanctis iustisque procreatis originalis peccati reatu absoluntur, nisi in Christo fuerint baptizati.“ Et alio in loco (37). „Regeneratus quippe non regenerat filios carnis, sed generat: ac per hoc in eos non quod regeneratus, sed quod generatus est, traicit. Sic igitur siue reus infidelis, siue absolutus fidelis, non regenerat absolutos vterque, sed reos, quomodo non solum oleastri, sed etiam oleae semina, non oleas generant, sed oleastros.“

Quaedam tamen hic sunt obiter soluenda, quae difficultatis speciem quandam praeserferunt. Sunt haec: primum: Apostolus ad Heb. vii. ait, Leui dum erat in Abraham lumbis, decimatum quidem esse, sed postea natum decimas acceperit. Filii igitur promissionis, qui in protoparentis femore reputati sunt præauricatores, procreati a parente fidieli, soluti a reatu originis habendi sunt.

Secundum: idem Paulus ad Rom. xi. scribit: „quod si delibatio sancta est; et massa: et si radix sancta; et rami.“ Et in i. ad Corinth. vii. „Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.“

Tertium: Deus pollicitus est Gen. vii. futurum se Deum tam Abrahae, quam eius seminis: quum ergo Christiani in semen Abrahæ deputentur; est Deus omnium eorum qui ex semine parentis christiani nascuntur.

Sed his facile occurritur. Primo quidem ex Augustini doctrina, Apostolum illis verbis, de dignitate Sacerdotii instituisse sermonem, ut scilicet prae excellentia Sacerdotii Christi secundum ordinem Melchisedech declararet, quod is decimas acceperit a Leui. Sic enim loquitur (38): "non enim propterea Leui postea non fuit decimatus, quia iam fuerat decimatus in lumbis Abrahae; sed quia sic ordinatus est honore Sacerdotii, vt acceperet decimas, non praebet; alioquin nec ceteri fratres eius decimarentur, quia et ipsi in lumbis Abrahae a Melchisedech iam fuerunt decimati."

Ad secundum dicendum: in priori textu loqui Paulum ad fidèles illos, quos vtpote a Gentibus vocatos, Iudeos aspernari videbat, ab eisdemque segregari. Itaque eos ad fraternam renovans vniōinem, adlati comparationibus apposite vtitur, quibus quod sibi posuerat, suadet.

In altero vero textu, Corinthiacae Ecclesiae foeminas Apostolus adloquitur, simul ac viros, quorum hoc erat vitium, vt infidelium mulierum congressum vitarent illi; virorum autem infidelium illae cohabitationem fugerent, maximis inde incommodis subsequutis, vt Augustinus declarat (39). Nihil tamen eo loco dogmati nostro aduersum: quin vt animaduerterit S. Doctor (40), Apostolus ibi adserit, coniuges infideles in coniugib[us] fidelibus sanctificari. Igitur, quum infidelis vxor minime per maritum fidelem sacrificetur, nisi baptizetur; neque filii sancti erunt, nisi baptismate abluantur. "Non opinor (inquit Augustinus) quisquam tam infideliter intelligit, vt ob hoc existimat etiam maritum non Christianum, quia christiana fuerit vxor eius, neque iam baptizari oportere, et ad peccatorum remissionem peruenisse, et in regnum coelorum esse intraturum, quia sanctificatus dictus est in vxore."

Tertium verbo solutum est. Quemadmodum enim nec Abrahae filii non circumcisi ad semipernum Dei foedus pertinebant, vt ex eodem cap. Gen. v. constat; ita neque Christianorum filii non baptizati. Donec enim sunt per baptismum regenerati, in Adam censentur. Itaque secundum carnem et carnalem generationem semen Adae illi sunt, semen vero Abrahae secundum fidem et propter baptismum.

CA-

(38) Lib. II. de Peccat. mer. cap. 25. (40) Lib. II. de Peccat. mer. cap. 26.

(39) Lib. I. de sermon. Domini cap. 16.

CAPVT XIX.

In quo probabilius originariae noxae natura sita sit, aperitur: modus quo illa in posteris traiicitur determinatur.

Originale peccatum non est substantia aliqua mala: non item ipsum Adami personale delictum.

Nihil aliud est originale peccatum quam concupiscentia cum priuatione originalis iustitiae.

Contrahitur autem illud naturae propagatione: neutriquam conditionis, aut pacti alicuius virtute.

Prioris assertionis pars prima ex his, quae alibi contra Manichaeos disputabamus, abunde confutari poterit. Quum enim ad eorum insatum errorem nobis opposita sententia accedit; vno eodemque argumentorum genere haec torquetur. Ostensum autem ibi fuit, malum non esse substantiam, quod Augustini ipsius verbis modo firmandum est, vbi ait (1): "iniquitas quippe ipsa non est substantia: non enim iniquitas est natura quam formauit Deus, sed iniquitas est peruersitas quam fecit homo." At originale peccatum malum est, et iniquitas: non ergo substantia est.

Præterea: in homine baptismate regenerato eadem species, eadem substantia remanet: sed deletur per baptismum peccatum: hoc ergo non est substantia.

Rursum: nullam aliam mutationem spiritualis substantia patitur, quam accidentalem, in effectibus scilicet et operationibus suis: igitur primi hominis prævaricatio nouam rationalem substantiam efficeret non potuit.

Demum: si crimen originarium substantia est, ratione praedita, ac voluntate pollens substantia; spiritualis ergo: at haec neque incepit, neque incipere aliter potest, nisi creetur: ergo mala haec substantia spiritualis, et rationis particeps, a Diabolo, vel ab Adamo creata fuerit, necesse est: Diabolus igitur, vel Adamus creator

(1) Cone, 1. in Psalm. lxxviii.

tor est : quod non Christiano solum , sed ratione vtente homine indignum est cogitare. Atque hoc momento p[ro]ae aliis quibuscumque maximopere Lutheranos premi nouimus.

Altera propositionis pars ex eo potissimum falsa euincitur , quod Tridentinae Synodo contrarietur. Nam Sess. v. Can. iii. definitur: "peccatum quod origine vnum est , et propagatione , non imitacione transfusum , omnibus inesse vnicuique proprium." In sententia autem opposita huiusmodi peccatum re ipsa in Adamo exitisset , in posteris vero per solam imputacionem ; vnde non esset cuiusque hominis proprium , contra id quod Synodus OEcumenica decreuit. Deinde demonstratur ipsius falsitas his argumentis.

Primum : deleri hoc peccatum , non est dumtaxat illud non imputari , vt eadem Synodus decernit proximo Canone v: ergo et contrahi hoc peccatum , non est tantummodo illud Adami posteris imputari.

Secundum : Adae peccatum , vt ex Apostolo et Concilio Araucano colligitur , caussa originariae culpæ est : ergo ab ipsa culpa originaria discrepat : etenim inter caussam eiusque effectum discrimen agnoscendum est.

Tertium : actuale delictum Adae actus immanens fuit , et propria eiusdem transgressio: igitur in omne genus hominum non pertransiit : at iuxta Apostolum , et etiam Araucani Concilii definitio nem (2) , peccatum in omne genus humanum per Adae praevaricationem pertransiit : non est ergo actualis Adami praevaricatio , originaria culpa.

Quartum : quae nobis per Christum tribuitur iustitia , non est aliqua denominatio extrinseca , sed reuera nobis inhaeret : ergo et vere proprie inhaeret peccatum , quod per Adam in omnes pertransiit : eodem enim modo de peccato , ac de iustitia loquitur Paulus ad Romanos scribens.

Propositionem secundam defendunt vnamiter Sanctissimorum Doctorum Augustini et Thome discipuli ; in eo insuper conuenientes , quod concupiscentia sit quasi originariae culpæ materies , reatus vero , seu priuatio iustitiae quod Theologi vocant formale. Demonstratur multipliciter. Ac primo : adfinis vel maxime haec nostra sententia est Tridentinae Synodi canonibus ; est enim iniuiabile huius Synodi decretum , vt Sess. v. legimus , tolli per baptismum totum

(1) Can. ii.

tum id quod veram et propriam rationem peccati habet. Item : manere in baptizatis concupiscentiam et somitem. Similiter hanc concupiscentiam peccatum adpellari ab Apostolo , non quod vere et proprie in renatis peccatum sit , sed quia ex peccato est , et ad peccatum inclinat. Omnia ista haec nostra sententia docet. Nam et docet , per baptisatum deleri concupiscentiae reatum , seu illud quod veram peccati rationem habet , nempe priuationem originalis iustitiae ; et remanere ipsam concupiscentiam , animique languorem : quae sane concupiscentia proprie in renatis peccatum non est , neque imputatur ad culpam , sed ad malum adhuc inclinat.

Deinde , praesidium habet haec sententia in Sanctis Doctoribus Augustino et Thoma. Haec primus scribit (3) : "concupiscentia tamquam lex peccati manens in membris corporis mortis huius cum parvulis nascitur , in parvulis baptizatis a reatu solutur , ad agonen relinquitur , ante agonem mortuos nulla damnatione persequitur. Parvulos non baptizatos reos innectit , et tamquam irac filios etiam parvuli moriantur , ad condemnationem trahit." Reatus vero huius concupiscentiae per baptismum solui his verbis docet (4) : soluto reatu , quo vincitos detinetur , ad agonem manet. Et etiam (5) : concupiscentiae reatus in baptimate solutur , sed infirmitas manet. Habet similia passim ; quae ipsius mentem testantur , quaeque inepte explicarentur , adserendo , Augustinum tantum velle concupiscentiam originis peccatum comitari , non ad eius naturam vel ut materiam expectare : nimis enim aperta illa sunt.

Sanctus autem Thomas hanc adducit rationem (6) : "priuationis originalis iustitiae , per quam voluntas subdebaturo Deo , est formale in peccato originali : omnis autem alia inordinatio virium animarum se habet in peccato originali , sicut quiddam materiale. Inordinatio autem virium animarum in hoc praecipue attenditur quod inordinate conuertuntur ab bonum commutabile ; quae quidem inordinatio communis nomine adpellatur concupiscentia. Et ita peccatum originale materialiter quidem est concupiscentia , formaliter vero est defectus originalis iustitiae." Atque haec Doctoris Angelici verba , vt Salmanticenses adnotant (7) , nullam in contrarium

ex-

(3) Lib. II. de Peccat. merit. cap. 4.

(6) Prima Secundae , quæst. LXXXII.

art. 3.

(4) Vbi supra.

(7) Tract. XIII. Disp. 16. dub. 4.

(5) Lib. I. Retract. cap. 15.

expositionem patiuntur: vnde peccat Habertius id tentans (8), ac fallitur egregie, vt demonstrat Bertius (9).

Suffragatur ratio theologica. Nam originale peccatum mors animae est, macula est, iniustitia est, Tridentino Concilio adrestante. Mortem vero carentiam vitae esse, quemadmodum et iniustitiam et maculam priuationem sanctitatis et pulchritudinis, ignorat nullus.

Quid sibi vero Patres voluerint, peccatum hoc concupiscentiam appellantes, S. Thomas explicat dicens (10): „materiale et formale in actibus moralibus considerandum est, sicut in artificialibus materia et toto composito praedicatur, et sic dicimus, cultrum esse ferrum, anulum esse aurum; ita de peccato praedicari potest id, quod non nisi materiale in eo est, et hoc modo peccatum originale dicimus esse concupiscentiam.“

Tertiae propositionis veritas primo constat ex Concilii Tridentini definitione his verbis expressa Sess. vi. cap. iii: „revera homines, nisi ex semine Adae propagati nascerentur, non nascerentur iniusti, cum ea propagatione per ipsum dum concipiuntur propriam iniustitiam contrahant.“ Docent idem Augustinus et Thomas. Primus enim ait, peccatum originale omnibus proprium esse *carnalis generatione* (11), vel *propagationis contagione*. Secundus docet: „peccatum originale non esse peccatum huius personae, nisi quatenus haec persona recipit naturam a primo parente; vnde et vocatur peccatum naturae secundum illud Ephes. ii: *eramus natura filii irae* (12).“

Transfunditur autem per hanc naturae propagationem peccatum huiusmodi, quoniam libidine et concupiscentia seminatricibus peragit; iuxta illud Iobi xiv. *Quis potest facere mundum de immunitate conceptum semine?* Atque sic ex semine vitio procreata carne, maculatus anima dum ipsi vnitur; quemadmodum explicat Innocentius III., vbi scribit (13): „ex seminibus foedatis et corruptis concipiuntur corpus corruptum patiter et foedatum, cui anima tandem infusa, corrumptum et foedatur, non ab integritate et munditia quam habuit, sed ab ea quam haberet, si non vnitetur foedato corpori et corrupto, quoniam et creando infunditur, et infunden-

do

(8) De peccatis cap. 7. § 4.

(9) Lib. xii. cap. 5. prop. 3.

(10) II. Sentent. Dist. xxx. quest. 1.
art. 3.

(11) Lib. iii. de peccat. mer. cap. 8.

Et lib. iv. contr. Iulian. cap. 1.

(12) Prima Secundae, quest. LXXXI.

art. 1.

(13) In Psalm. 2, v. 7.

do creatur. (14) Quo vero pacto id fiat, quod non minimam praeferat difficultatem; videlicet, quomodo peccatum in animam per carnem transeat, obliuiente Iuliano, Augustinus exponit dicens (14): qualitates, licet subiecto, inhaerent, tamen „afficiendo transeunt, non emigrando, quemadmodum AEtiopes, qui nigri sunt, nigros signant, non tamen in filios parentes calorem suum velut tunicam transferunt, sed sui corporis qualitate corpus, quod de illis propagatur, afficiunt.“ Sentit ergo Augustinus, sic vitium carnis ex parente in prolem transire, vt ex carne maculam contrahat anima. Sed de hoc dilucide Bertius (15).

Itaque et his demonstrata fuit pars illa assertionis, quae conditionem, pactumque omnem excludit. Etenim si peccatum hocce propter seminis originem contrahitur; feusura ad alia quaecumque confluget. Quid? Vbinam conditionis, aut pacti mentio? Silent Scripturae; tacet traditio; contradicunt Patres; repugnat ratio; vt cuique obium notumque sit, commenti loco eiusmodi esse habenda.

Quod si tamen pacti adseri positione nodus iste facilius expeditetur, minus ille fictitus videretur; sed eo magis, magisque implicatur. Quandoquidem praeceptum primo homini impositum, et cuius transgressione in omnes peccatum pertransiit, absolutum fuit, quale supremum Dei dominium decebat: pactum autem et libertatem ex omni parte desiderat, et exigit, vt qui paciscitur alicui conditioni sese obliget.

COROLLARIA.

Hinc licet colligere, originale peccatum esse singulis proprium et voluntarium, quatenus nempe, omnes in Adamo seminaliter fuerunt, et hic voluntate propria naturam communem vitauit. Ut enim dicebamus hoc peccatum non aliter proprium est huius personae, nisi quatenus a primo parente recipit naturam: vnuquisque vero ab eo naturam recipit, quia seminaliter in eius lumbis praecessit. Ergo haud plane satisfac eorum sententia, qui dixerunt, imputari Adami posteris illius peccatum, quoniam ille caput omnium morale fuit, omniumque item voluntates in se praehabuit. Sed fuit ille caput naturale, et physicum etiam, velut primus auctor, qui, vt S. Thomas loquitur (16), mouet motione generationis omnes qui ex eius Tom. II.

Mun

ori-

(14) Lib. v. cap. 9.

(15) Lib. xiii. cap. 6.

(16) Prima Secundae, quest. LXXXI.

art. 1.

origines deriuantur : et in quantum unusquisque recipit naturam a primo parente.

Insuper licet colligere, huiusmodi peccatum aequale in omnibus Adae posteris esse. Duo enim in hoc peccato spectari possunt; originariae scilicet iustitiae defectus, ac huius defectus relatio ad sui caussam, primi nempe hominis culpm, quae in totam eius sobolem prosemintur. Si primum consideretur; quis dubitet esse illud in omnibus aequale? Nonne enim iustitia originalis omnis omnino ablata est? Sed secundum quoque aequale esse perspicuum est: nam aequalis omnium posterorum est relatio ad prauam Adae voluntatem, ex qua labes haec rationem habet culpae.

Illud etiam sequitur, quod si Deus hominem aliquem conderet, et non ex virili semine, hic non inficeretur originario peccato; quia non descendetur ex Adamo per originem et propagationem seminalem. At, inquires, hic homo ex massa corrupta formaretur. Verum istud est sed Sancto Thoma docente (17), caro anima non inficit, nisi quatenus generationis principium est. Nec deinde Adae peccatum eius posteris sit proprium, nisi et generationis motus ab eo sit, sicut ad peccatum non pertinent actus membrorum corporalium, nisi quatenus a voluntate mouentur.

Sequitur praeterea non traduci in liberos alia quelibet parentum peccata. Quia enim peccatum gratiae dono opponatur, coque animam nuder; id ipsum quod in dono gratiae per peccatum ablato consideratur, et in peccato spectandum est. Cur autem originaria labes in omnes seminaliter ab Adamo procreatis transit? Quoniam iustitiae originariae priuatio est; quae quidem non soli Adamo fuerat adstrita, sed et toti humanae naturae; neque in sola superiore animae parte sistebat, nimirum mente, sed ad corpus ipsum deriuabatur, illud animae perfecte subiiciens. Idemne vero de gratia censendum, qua baptizati renascuntur in Christo? Illa cuique confertur, vt sanctus ipse iustusque sit, non vt eam in ptolem transfundat, mentem quoque dumtaxat renouat, atque perficit, neque extendit ad corpus: quare cum actualibus cuiusque peccatis haec auferatur; sicut parentum gratia, et virtutes nequeunt in filios generatione transferri, ita nec actualia corundem crimina: licet possint haec per imitationem transferri. Hinc praeclare aiebat Augustinus

(17) Prima Secundae, quæst. lxxxi. art. 4. ad 1.

nus (18): »quoniam itaque nullam dant iusti parentes ante baptismum infantibus suis iustitiam; nullam igitque addunt iniusti suis filii iniustitiam.«

Ergo erravit immaniter Baius, cuius haec fuit inter alias plurimæ ab Apostolica Sede confixas absonta propositio: *omne scelus eius est conditionis, ut suum auctorem, et posteros inficere possit, quo infectit prima transgressio* (19).

Nec enim errori huile fauet quod Deus ipse Exod. xx. dixerit: *ego sum Deus Zelotes visitans iniquitatem Patrum in filiis usque in tertiam et quartam generationem*. Nam Sancto Thoma interprete (20); *hoc dicitur, quia peccatum transit a parentibus in posteros quantum ad poenam. Verumtamen considerandum est, quod duplex est poena, una spiritualis, quae pertinet ad animam, et tali poena numquam filius punitur pro patre, et hoc ideo, quia anima filii non est ex anima patris, sed immediate creatur a Deo: et haec ratio assignatur Ezequielis xviii. Sicut anima Patris mea nest, et anima filii mea est: filius non portabit iniquitatem Patris. Alia poena est corporis, vel corum quae ad corpus pertinent; et quantum ad hanc poenam filii pro parentibus puniuntur, praesertim quando parentibus conformantur in culpa; quantum enim ad corpus, quod a parente traducitur, filius est aliquid patris.* Haec S. Thomas.

At est quoddam scelus, reponet aliquis, ceteris immanius, quod Magister Petrus Mansius Augustiniensis Theologus in filios a proximis parentibus perpetua generationum serie propagari contendit; veterum scilicet Iudeorum, qui Christum Dominum non reiecerunt solum, sed et in Crucem agendum curarunt; quod in totam Iudeorum gentem successione non interrupta transfundì dicit (21); adeo ut ab aetate illa quotquot ex hebreis illis sunt orti ac orientur, non solum pro hoc Patrum suorum sceleris grauissimas poenas experiantur, videlicet, vastitatem, exilium, omnium gentium execrationem; regni, Sacerdotii, aliorumque iurium priuationem; sed et intestinum in Christum eiusque ad seculas odium, et pertinacissimam cordis duritiem, ac lamentabilem caecitatem, quae totius miserae gentis, veluti character est, quaeque et peccatum est, et poena peccati, filii a parentibus per originem trahant.

Mm 2

Non

(18) Lib. de pecc. orig. cap. 23.

(19) Proposit. lxxi.

(20) Quæst. iv. de Malo art. 3. ad 6.

(21) Tom. ii. Thol. Schol.

Non est tamen haec opinio noua , sed verutissima ; quippe eius meminit S. Thomas (22) , eam ex instituto versans ; sibique nonno loco obiicit potissimum momentum illud , quo peregrina opinatio nititur , nempe insanas illas Iudeorum voces ad Pilatum clamantium , *sanguis eius super nos , et super filios nostros* ; nec non Augustini testimonium (23) , scilicet : *“ecce quae bona ad haeredes suos quodam sacrilegii testimonio transmittunt : macula sanguinis se perfundunt , et posteros perirent.”* Quibus haec Doctor Angelicus reponit : *“sanguis Christi Iudeorum filios obligat , quatenus paternae malitiae imitatores sunt , eamque approbant , et sequuntur.”* Ergo miserrimi Hebrei paterni scleris poenas lugent , patiunturque , non natuitatis , sed praeae educationis vitio , quia a maioribus suis admissum crimen ratum habent , adprobant , imitantur , Christum eiusque religionem odio habentes , et execrantes . Neque infusa haec a Christo , eiusque lege alienatio a parentibus in prolem generatione transfunditur , sed mox ac per aeratem , rationisque usum licet , pessima disciplina liberorum animis instillatur .

CAPVT XX.

Qui fuerint Catholicorum ac Nouatorum contra sentientes narratur. Rationes eorundem soluuntur.

Peccatum originale malam quandam ac peruersam fuisse substantiam , Mathias Flaccus Illiricus rigidiorum Lutheranorum caput , et Magdeburgensium Centuriatorum antesignanus adseruit ; sed praepostere , et prorsus inscite , vt vidimus . Reliqui Nouatores communiter originis peccatum in ipsa constituunt concupiscentia , ita sane ut in renatibus , in quibus fomes concupiscentiae remanet , nequeat reatus originalis deleri , sed tantummodo tegatur , nec impunetur . Fuere autem ex Catholicis quidam adfirmantes , nihil aliud illud esse , quam Adami peccatum ipsum , a quo omnes posteri praevaricatores denominantur . Quae est singularis Pighii , et Catharini sententia . Nec defuere alii nihil aliud praeter iustitiae originalis priuationem in eo peccato agnoscentes : quod modo etiam recentiores nonnulli adfirmant .

In soluendo insuper nodo intricatissimo , quomodo scilicet originale peccatum sit ex Adamo in posteros deriuatum , fuere olim qui

ad

(22) Vbi supra.

(23) Ex Sermone de Passione.

ad animorum propaginem confugerint ; quorum tamen temerarium consilium ferme omnes Theologi modo quam exuerint , non est cur insanis corundem rationes denuo producamus . Sed pro his alii e Schola sumi sublegati , quibus nouam rationem inire visum est . Inquiunt enim , Adamo , qui vniuersorum hominum caput morale erat , reliquorum fuisse adligatas voluntates a Deo , pactione quadam et conditione , vt scilicet posteri iustitiam , si starebant culpam , si caderer , participarent iure quodam haereditario . Eo videlicet modo , quo dum Magistratum Rectores aliquo sese obstringunt vota , ciues omnes illo vinculo tenentur , etiam qui nascituri sunt .

Atque qui originale peccatum malam et peruersam substantiam esse dicebat , Illiricus , his momentis errorem suum munire satagebat . I : peccatum originis appellatur Gen. vii. in Hebr. Codice *fragmentum cordis malum* ; ad Rom. vi. *vetus homo* ; Matth. xv. principium efficiens malarum cogitationum , similimumque vitiorum ; aliis item nomenclaturus exprimitur : at haec omnes sunt notae quedam , quibus veram exprimimus substantiam : est ergo illud huiusmodi .

II : Adam peccando diuinam perdidit similitudinem et imaginem : haec in facultate intelligendi et volendi , ideoque in ipsa animae rationalis substantia sita est : perdidit igitur substantiam priorem .

III : quilibet homo filius diaboli nascitur propter originariam culpam : Diabolus ergo malignam substantiam gignit . Quin licet Diabolus creaturas rationales non possit condere , earum tamen potest substantiam in detinorem commutare ; imo et commutans ex eo constat , quod haec legi Dei modo est disformis , et a priori quam instituit Deus longe diuera .

Pighius autem et Catharinus haec obiliunt . I : Apostolus ad Romanos scribens versus xii. habet : *in quo omnes peccauerunt : rursumque versus xix : per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi.*

Il : Augustinus quoque scribit (1) : *peccato offendit Adam tenebuntur obnoxii .* Ex quibus illud inferunt quod somniant , nempe , originale peccatum unum idemque esse cum personali Adami delicto .

Sed Theologi Recentiores nonnulli sic varie contra sententiam a nobis stabilitam pugnant . Primo aiunt : si concupiscentia vere et proprie peccatum foret , tolleretur per baptismum ; quem hoc verum , ac proprium peccatum tolli certum sit : at concupiscentia ini-

(1) Lib. tr. de peccat. mer. cap. 6.